

judicia ejus] discurrunt [h. non habet discurrunt] nubes [h. et in magnificentia ejus nubes] habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna : ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Contere.

Habitabit Israel confidenter, et solus. Oculus Jacob [h. fons Jacobi] in terra frumenti et vini, coelique [h. coelique ejus] caligabunt rore. Beatus tu, Israel : quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino? Scutum auxilii tui, et gladius glorie tue : negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis.

Cap. XXXIV. — Ascendit ergo Moses de campatribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Jericho : ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan (1). Et universum Nephthali, terramque Ephraim et Manasse, et omnem terram Juda usque ad mare novissimum, et australem partem, et latitudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor. Dixitque Dominus ad eum : Hec est terra, pro qua juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens : Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis

tuis, et non transibis ad illam. C. CLIV. Mortuusque est ibi Moses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino, et sepelivit eum in valle terre Moab contra Phohor, et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in presentem diem. Moses centum et viginti annorum erat quando mortuus est : non caligavit oculos ejus, nec dentes illius moti sunt [h. nec genæ illius rugatæ sunt]. Fleveruntque eum filii Israel in campatribus Moab triginta diebus : et completi sunt dies planctus lugentium Mosen. Josue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moses posuit super eum manus suas. Et obdierunt ei filii Israel, feceruntque sicut præcepit Dominus Mosi. C. CLV. Et non surrexit propheta ultra in Israel sicut Moses, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, et cunctam manum robustam, magnæque mirabilia, quæ fecit Moses coram universo Israel.

Explicit liber Deuteronomii.

(1) Canon habet, « de Galaad usque Dan », quod satis accommodatum Scripturæ reddit sensum.

MAR.

— Minus recte ad Hebræum textum, quidquid

Martiano videatur, habet canon Hebræus, « de Galaad » : neque enim גלעד scriptum est, sed ארדהלעד.

## S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

# DIVINÆ BIBLIOTHECÆ

## PARS PRIMA.

### ORDO SECUNDUS, PROPHETARUM.

#### PRÆFATIO HIERONYMI IN LIBRUM JOSUE BEN NUN (1).

Tandem finito pentateucho Mosi, velut grandi fenore liberati, ad Jesum filium Nave manum mittimus, quem Hebræi JOSUE BEN NUN יְהוֹשֻׁעַ בֶּן נֹחַן, id est, Josue filium Nun, vocant, et ad judicium librum, quem SOPHIA שופטים appellant, ad eum quoque et ESTHER אֶסְתֵּר (2), quos iisdem nominibus efferunt. Monemusque lectorem, ut silvam Hebraicorum nominum (3), et distinctiones per membra divisas diligens scriptor conservet, ne et noster labor et illius studium pereat. Et

ut in primis, quod sæpe testatus sum, sciat me non in reprehensionem veterum nova cadere, sicut amici mei erimantur (4); sed pro virili parte offerre linguis meæ (5) hominibus (quos tamen nostra delectant), ut pro Grecorum ἱστορίαι, quæ et sumptu et labore maximo indigent, editionem nostram habeant. Et siubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint, hæc illis conferentes, inveniant quod requirunt : maxime cum apud Latinos tot sint exemplaria,

(1) Plures mss. legunt : « Præfatio S. Hieronymi in librum Josue et judicum ». Et revera nullus exstat peculiaris Hieronymi prologus in librum « judicum » : horum itaque duorum librorum communis censenda est ista præfatio. MAR.

— Addunt nonnulli mss. « et judicium », ut et Martinianus in suis reperit. Sed et Ruth, qui parvus libellus olim in Hebræo canone quasi appendix libri judicum sub ejus unica notatione nominis censebatur, præfatio hæc una comprehendit.

(2) Hic autem liber in nulla quod sciam recensione hic habetur loci aut in prophetarum ordine. Quia ipse idem Hieronymus eum ponit in hagiographis tum in hac ipsa Scripturæ interpretatione ex Hebræo, cum in prologo galeato, ubi singulos juxta suam quemque classem enumerat.

(3) Intellige cola versuum et commata, uti liquet ex præfatione in librum paralipomenon, in qua proficitur Hieronymus versionis ex Hebræo curam in se suscepisse : « Ut inextricabiles moras, et silvam nominum, quæ scriptorum confusa erant vitio, sensuumque barbariem, apertius et per versum cola diceret ». Hic in Hugoneum cardinalem propter multas ejus hallucinationes acerbè invehitur Erasmus Hieronymi scholiastes ; sed acerbius adhuc Marianus in reprehensorem Erasmus, quia nec ipse sensum

Hieronymi assecutus est sapra, cum de libris Ruth et Esther loqueretur. MAR.

— Urbina ms. jacentem virgulam hic interponit ad hunc modum. « divisa diligens scriptor, etc. » quæ porro sit isthæc versuum distinctio, cum alibi diximus, tum ex inferioribus proponendo exemplo liquet.

(4) Rufinum intelligit ac socios ejus, qui ad calumniam Hieronymi conspirabant. Id manifestum apparet et libro secundo « apologiæ » s. doctoris adversus Rufinum, ubi hæc ab eo scripta leguntur : « Ego ille, qui epistolam sub nomine meo penitentiam fluxerat, quod male Hebræa volumina translationem, obicere dicitur me in Septuaginta condemnationem Scripturas sanctas interpretatum ». Et in fine ejusdem libri : « Pro me », inquit, « responderè compulsum sum, expectans tria amici volumina, et ad congeriem criminum ejus tota mente suspensus ». MAR.

— Perspicuum est Rufinum ejusque asseclos xxi ἀντιγραφαί ita appellari, quibus et alibi ait, in more positum arcuato scorpii morsu ledere.

(5) Bene monet hic Marianus, Hieronymum lingue sue homines, Latinos vocare, non Dalmatas, ut falso aliqui putant. MAR.

— Latinis scilicet, quos passim hoc vocabulo compellat, et nemo non intelligit.



quot codices; et unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit quod ei visum est: et utique non possit verum esse quod dissonat. Unde cesset arcuato vulnere contra nos insurgere scorpius, et sanctum opus venenata carpere lingua desistat, vel suscipiens, si placet, vel contemnens, si disciplet: meminertique illorum versuum (Psal. XLIX, 19 seq.):

*Os tuum abundavit nequitia,  
et lingua tua concinnabat dolos.  
Sedens adversus fratrem tuum loquebaris,  
et adversus filium matris tue ponebas scandalum:  
hæc fecisti et tacui.  
Existimasti, inique, quod ero tui similis:  
arguam te, et statuum contra faciem tuam (1).*

Quæ enim audientis vel legentis utilitas est, nos laborando sudare, et alios detrahendo laborare? Dolere Judeos quod calumniandi eis et irrendendi Christianos sit ablata occasio, et Ecclesie homines id despicere, imo lacerare, unde adversarii torqueantur? Quod si vetus eis tantum interpretatio placet, quæ et mihi non displicet,

(1) Palatin. ms. hic interserit « illa ».

(2) Locum hanc nequaquam assecutus Valosius ita corrigi vult epistola ad Usserium de LXX interpretibus, « legunt, nec negligunt ». At vero alius Ille-

et nihil extra recipiendum putant: cur ea quæ sub asteriscis et obelis, vel addita sunt, vel amputata, legunt, et negligunt (3)? Quare Daniellem juxta Theodotionis translationem, Ecclesie suscepimus? Cur Origenem miramur, et Eusebium Pamphili, cunctas editiones similiter disserentes? Aut quæ fuit stultitia, postquam vera dixerint, proferre quæ falsa sunt? Unde autem in novo testamento probare poterunt assumpta testimonia, quæ in libris veleribus non habentur? Hæc dicimus, ne omnino calumniantibus tacere videamur. Cæterum post Sanctæ Paulæ dormitionem, cuius vita virtutis exemplum est, et hos libros, quos Eustocho virgini Christi negare non potui, decrevimus, dum spiritus hos regit artus, prophetarum explanationi incumbere, et omissum jamdiu opus, quodam postliminio repetere: præsertim cum et admirabilis sanctusque vir Pammachius hoc idem litteris flagilet, et nos ad patriam festinantes, moriferos Sirenarum cantus surda debeamus aure transire.

ronymi sensus est, qui id sibi unum vult, ut eos dicat, quæ sub asteriscis addita sunt, « legere », quia obelis sunt prænotata, « negligere ». Paulo post vitiose erat penes Martian. « Danielis » pro « Daniele ».

## TITULI LIBRI JOSUE.

- I. Post mortem Mosi, Josue Dominus loquitur, et hortatur, ut surgens, Jordane transmissio, ad terram quam promiserat pergeret obtinendam. Tecum ero, ait, confortare et esto robustus. Volumen legis de corde tuo non recedat, et cætera. Ubi Josue præcepit populo in crastinum, ut, cibariis præparatis, Jordanem pergerent transire. Duos absconditos viros exploratores ad Jericho dirigit civitatem, qui meretricis Rahab domum ingressi, atque a rege quasi absconditi sunt, pactoque iusto per murum demissi montana conscendunt, ad Josue veniunt, et quæ sibi contigerant pandunt.
- II. Motis castris, Josue venit ad Jordanem, populum triduo sanctificat Dominus, et Josue dicit: Hodie te incipiam exaltare coram filiis Israel, die levitis, cum ingressi fuerint aquas Jordanis, ut stent: ac deinde descendentes sacerdotibus in aquam, supercipientes aquæ instar montium

intumescere in una consistebant mole, inferiores vero desiccate sunt: super siccam hamum omnis populus pertransiit. Bis duodenos pro testimonio lapides de ejus medio apportarunt.

- III. Castrametantur in Galgalis: Dominus ad Josue dicit ut lapideos faciat cultros, et causam secundæ circumcisionis ostendit. Ibi pascha celebrant: comederunt de frugibus terræ promissionis azyma nova, et non est ultra eis datum manna. Ibi Josue, elevatis oculis, militiæ celestis gladium tenentem principem cernit, et audit: Solve calcamentum de pedibus tuis, et cætera. Et iterum: Tradidi Jericho et regem ejus in manu tua: sit omnis anathema: sic et sic clamabit, et supradictæ sequitur interitus civitatis. Rahab educitur ac servatur. Filii Israel prævaricati sunt, id est. Achan filius Charni. Ad Hai exercitum dirigit, qui terga hostibus dedit: ipse, scissis vestibus, Dominum depre-

catur, et Dominus dicit quod peccaverit populus. Inquisitus qui hoc fecerit, deprehensus et a populo lapidatus.

- IV. Præcepit Dominus, ut ad supradictam pergeret civitatem, atque, clypeo elevato, secret sibi eam fuisse contraditam: qui pergens cepit, occidit, delevit: jumenta autem et prædam civitatis populus invicem sibi distribuit, et ædificato altari sacrificium obtulit. Deuteronomium scripsit, verba benedictionis et maledictionis omni populo legit. Ubi reges Chanaan turbantur, Gabaonites legatos callide mittunt, fœdus ineunt, et in servitium deputantur.
- V. Ubi quinque reges Amorrhæorum congregantur adversus Israel, et Josue eos persequitur, et dicit: Stet sol in Gabaon, et cætera, casoque exercitu, quinque reges in speluncam fugiunt, atque apprehensi occiduntur: eodem die percussit Mageda et Lenna, deinde Luchis et Gaser, omnesque montanas et plano positas civitates, Domino tradente, possedit.
- VI. Ubi Enacim interfectos reges enumerat singulos, id est, triginta unum, quibus extinctis provincias eorum possedit.
- VII. Dicit Dominus ad Josue: Senuisti et longævus es, divide terram filiis Israel, atque sedens cum Eleazaro sacerdote universam terram divide,

Caleb ad eum loquitur ut Cariath-Sepher civitatem ei sorte contraderet, sicut jusserrat Dominus. Et sequitur quæ sors unicuique tribui sit tradita.

- VIII. In Silo fuerunt tabernaculum testimonii, et inde ad reliquam, quæ necdum subiecta fuerat, terram dirigit inspectores.
- IX. Præcepit Dominus Josue, ut urbes in præsidia fugitivorum separantur, sicut locutus est ad Moysen, et legem dat, quæ illarum civitatum debeat intrare præsidia. Levitis et sacerdotibus civitates et suburbana distribuuntur.
- X. Josue vocavit Rubenitas, et Gaditas, et mediam partem tribus Manasse, et dixit eis: Implestis imperium Domini, ite in tabernacula vestra; et pergentes ad tumulos Jordanis edificaverunt altare infinitæ magnitudinis, quod Josue et Israel putaverunt esse sacrilegum, et nuntios dirigit, qui ratione accepta leniti sunt.
- XI. Josue vocavit omnem Israel, et admonet ut serviant Domino. Enumerat seriem generationis antiquæ, et quomodo de Aegypto sint liberati: quomodo Amorrhæi, Chanaanæ et cæteri sint traditi in manus eorum. Josue lapidem posuit in testimonium, post hæc mortuus est ac sepultus in Tannathsare. Ossa Joseph sepeliuntur in Sichem, et Eleazar sacerdos mortuus est.

## BREVES LIBRI JOSUE (V).

- I. Promittit Deus Josue dicens: Sicut fui cum Moyse, ero et tecum.
- II. Præparare cibaria jubetur populo, ut transcat Jordanem.
- III. Destinantur exploratores a Josue in Jericho.
- IV. Promittit Dominus Josue dicens: Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, ut sciant quia sicut fui cum Moyse, ita et tecum sum.
- V. Jubente Domino, vocatur ab eis Jordanis transseunt Israel.
- VI. Duodecim lapides electi de Jordanis alveo ob commemorationem futuri temporis.
- VII. Introeunte Israel terram Chanaan, territi sunt cuncti reges.
- VIII. Hæc autem causa est secundæ circumcisionis.
- IX. Hucusque comederunt manna.
- X. Ostendit se Angelus Domini Josue, qui dicit: Princeps exercitus Domini sum.
- XI. De obsidione vel subersione urbis Jericho.
- XII. Imprecatio Josue.
- XIII. Prævaricatio Josue populi.
- XIV. Confortat Dominus Josue ad præliandum.
- XV. Perturbatio regum.
- XVI. Simulatio Gabaonitarum.
- XVII. Conglobati quinque reges contra Josue ascenderunt. Tunc imperavit soli, et stetit spatio diei unus.
- XVIII. Juvante Domino, extincti sunt reges cum exercitu suo.
- XIX. Ruben, Gad et dimidia tribus Manasse terram sibi dari postulant a Moyse.
- XX. Hi sunt reges terræ quos percussit Josue et filii Israel.

(1) In codice Palatin. « capitula » nuncupantur.



- XXI. Dividere terras populis hortatur Dominus Josue.  
 XXII. Promissum repetit Caleb montem, in quo Hebron: hic legis Adam situm.  
 XXIII. Sors Judæ.  
 XXIV. Sors filiorum Joseph, Ephraim, et Manasse.  
 XXV. Filius Joseph petit sibi augmentari funiculum a Josue, quibus ait: Ascendite in montem, et succidite silvam, et mundate vobis ad habitandum spatia.  
 XXVI. Congregatique sunt omnes filii Israël in Silo.  
 XXVII. Destinantur viri ad describendam terram, reversique descriptionem tradunt Josue, qui misit sortes coram Domino in Silo, divisitque terram filiis Israel in septem partes.  
 XXVIII. Urbes fugitivorum.  
 XXIX. Urbes levitarum.  
 XXX. Post bellorum turbines data est requies a Domino.  
 XXXI. Inconsulta re factum a tribu Ruben altare immensæ magnitudinis.  
 XXXII. Replicat a principio Josue cuncta Israël cum testatione, ne discedant a præceptis Domini, appropinquante die obitus sui.  
 XXXIII. Unde natus sit Abraham, vel ubi perditus. Item congregatis cum pacto oblationis, alloquitur eos Josue.

## CAPITULA LIBRI JESU NAVE.

- I. Transite per media castra.  
 II. Exploratores missi de Setim.  
 III. Exploratores Rahab testatur.  
 IV. Hic populo dicit: Purificate.  
 V. Ubi Dominus dicit ad Jesum: Incipiam te exaltare.  
 VI. Jordanis siccat.  
 VII. Parate duodecim viros ad lapides tollendos.  
 VIII. Lapidés sublatis.  
 IX. De instructione filiorum.  
 X. Jesus exaltatus.  
 XI. Sacerdotes de Jordane excesserunt.  
 XII. Item filii instruendi.  
 XIII. Gentium reges territi.  
 XIV. De cultellis petrinis.  
 XV. Circumcisio.  
 XVI. Maledictum ablatum.  
 XVII. Pascha.  
 XVIII. Manna defecit.  
 XIX. Angelus visus.  
 XX. Jericho circumdari jubetur.  
 XXI. Jesus dicit populo: Nec clamaveritis.  
 XXII. De anathemate.  
 XXIII. Muri Jericho ceciderunt.  
 XXIV. De Rahab sercanda.  
 XXV. Maledictus qui edificaverit civitatem Jericho.  
 XXVI. De anathemate, qui concipivit.  
 XXVII. Populus fugatus.  
 XXVIII. Peccavit plebs.  
 XXIX. Jesus de anathemate scrutatur.  
 XXX. Achar de anathemate confusus.  
 XXXI. Prima pugna Jesus, Ahi civitatem per insidiam capit.  
 XXXII. Gentes adversum Jesum collectæ.  
 XXXIII. Jesus altare edificat, et ibi Deuteronomium scribit.  
 XXXIV. Jesus legem benedictionum et maledictionum omni populo legit.  
 XXXV. Gabaonites audientes famam Josue.  
 XXXVI. Ubi acceperunt Gabaonites pacem, et Deum non invocaverunt.  
 XXXVII. Gabaonites ligni casores facti.  
 XXXVIII. Rex Jerusalem adversus Gabaonitas cum altis regibus pugnat.  
 XXXIX. Gabaonites auxilium petunt a Jesu.  
 XL. Lapidibus cæci reges gentium interfecit.  
 XLI. Sol stat in Gabaon, et luna in valle Aialon.  
 XLII. Reges in spelunca.  
 XLIII. Reges de spelunca producti atque interfecit.  
 XLIV. Sedes super cervices regum.  
 XLV. Regiones quas accepit Jesus cum suis regibus, Macediam et omnes habitatores ejus.  
 XLVI. De Lebna in Lachis.  
 XLVII. Hiram auxiliator Lachis.  
 XLVIII. Eglon expugnatur.  
 XLIX. Hebron capta.  
 L. Dabibam cepit atque vastavit.  
 LI. Terram montuosam percussit.  
 LII. Jabin congregat omnes reges adversus Jesum.  
 LIII. Equi gentium subnervati.  
 LIV. Civitates muratas non succendit.

- LIV. Dominus dedit in his agendum, ut bellarent, nec haberent misericordiam.  
 LVI. Enacim exterminati.  
 LVII. Nomina regum intersectorum a Moyse.  
 LVIII. Reges quos Jesus interfecit.  
 LIX. Terra expugnata, et in hereditatem divisa.  
 LX. Divisio terræ quam Moyses duabus et dimidiis tribui Manasse trans Jordanem dicit.  
 LXI. Sors tribus Ruben.  
 LXII. Sors filiorum Gad.  
 LXIII. Sors dimidiæ tribus Manasse.  
 LXIV. Hic Eleazar et principes terram novem tribubus partuntur.  
 LXV. Caleb ad Jesum.  
 LXVI. Nomen Hebron quæ prius vocabatur Cariatharbe.  
 LXVII. Sors tribus Judæ.  
 LXVIII. Caleb pars inter filios Judæ.  
 LXIX. Caleb propter civitatem litterarum, Azam filium suum dedit Othoniel.  
 LXX. Filia Caleb partem agri a patre postulat.  
 LXXI. Nomina civitatum Juda.  
 LXXII. Nomina civitatum quæ sunt in campis tribus.  
 LXXIII. Jerusalem Juda expugnare non potuit.  
 LXXIV. Sors filiorum Joseph.  
 LXXV. Terminis Ephraim.  
 LXXVI. Quem Ephraim non expugnavit.  
 LXXVII. Sors filiorum Manasse.  
 LXXVIII. Filia Salphaad.  
 LXXIX. Terminis filiorum Manasse.  
 LXXX. Quem Manasse expugnare non potuit.  
 LXXXI. Congregatio filiorum Israel in Silo.  
 LXXXII. Jesus septem tribubus semel terram partitur, et militi viros ad terminandum.  
 LXXXIII. Sors missæ in Silo, sors prima tribus Benjamin.  
 LXXXIV. Nomina civitatum Benjamin.  
 LXXXV. Sors secunda filiorum Simeon.  
 LXXXVI. Sors tertia filiorum Zabulon.  
 LXXXVII. Sors quarta filiorum Issachar.  
 LXXXVIII. Sors quinta filiorum Aser.  
 LXXXIX. Sors sexta filiorum Nephthali.  
 XC. Sors septima filiorum Dan.  
 XCI. Filii Dan pugnaverunt contra Lescu, et ceperunt eam.  
 XCII. Civitas quam filii Israel Jesu dederunt.  
 XCIII. Præceptum civitatum refugii.  
 XCIV. Nomina civitatum refugii.  
 XCV. Filii Levi propter civitates interpellaverunt et acceperunt.  
 XCVI. Sors populi Canth.  
 XCVII. Sors filiorum Gerson.  
 XCVIII. Sors filiorum Merari.  
 XCIX. Hebron civitas refugii filiis Aaron data.  
 C. Civitas refugii filiorum Gerson.  
 CI. Civitas refugii filiorum Merari.  
 CII. Dominus sicut promisit, implevit.  
 CIII. Ruben et Gad Jesus reverti jubet in terram suam.  
 CIV. De ara quam duæ tribus et dimidia edificaverunt.  
 CV. Jesus populum novissime contestatur.  
 CVI. Jesus dicit: Ecce ego decurro viam.  
 CVII. De erabronibus quos misit Dominus.  
 CVIII. Liberum arbitrium.  
 CIX. Non potestis Domino servire, quia Deus sanctus est.  
 CX. De lapide testamenti.

## INCIPIT

## LIBER JOSUE BEN NUN.

T. I, B. I, Cap. I. — Et factum est post mortem Mosi, servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Mosi, et diceret ei: Moses servus meus mortuus est: surge, et transi Jordanem istum, tu, et omnis populus tecum in terram, quam ego dabo filiis Israel.

Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Mosi. A deserto et Libano usque ad flumen magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester. Nullus poterit vobis [h. tibi] re-



sistere cunctis diebus vite tue: sicut fui cum Mose (*Vulg. addit ita*) ero et tecum: non dimittam, nec derelinquam te. Confortare, et esto robustus: tu enim sorte divides populo hanc terram, pro qua iuravi patribus tuis [h. eorum], ut traderem eam illis. Confortare igitur, et esto robustus valde, ut custodias et facias omnem legem quam precepit tibi Moses servus meus: ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quae agis. Non recedat volumen legis huius de ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quae scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. Ecce praecipio tibi, confortare et esto robustus. Noli metuere, et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quaecunque perrexeris. B. II, C. I. Praecepitque Josue principibus populi, dicens: Transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicite: Preparate vobis cibaria: quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis Rubenitis quoque et Gaditis et dimidiae tribu Manasse ait: Mementote sermonis, quem praecipit vobis Moses famulus Domini, dicens: Dominus Deus vester dedit vobis requiem et omnem terram [h. et terram istam]. Uxores vestras, et filii, ac jumenta manebunt in terra, quam dedit vobis Moses trans Jordanem: vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu (1), et pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut et vobis dedit: et possideant ipsi quoque terram, quam Dominus Deus vester daturus est eis, et sic revertemini in terram possessionis vestrae, et habitabitis in ea, quam vobis dedit Moses famulus Domini trans Jordanem contra solis ortum. Responderuntque ad Josue, atque dixerunt: Omnia, quae precepisti nobis, faciemus, et quocunque miseris, ibimus. Sicut obedivimus in cunctis Mose, ita obediemus et tibi: tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Mose. Qui contradixit ori tuo, et non obediit cunctis sermonibus tuis (*Vulg. tacet tuis*) quos preceperis ei, moriatur. Tu tantum confortare et viriliter age.

B. III, C. II, Cap. II. — Misit ergo Josue filius

Nun de Setim duos viros exploratores abscondite, et dixit eis: Ite, et considerate terram, urbemque Jericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, et quieverunt apud eam. Nuntiaturumque est regi Jericho, et dictum: Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israel, ut explorarent terram. Misitque rex Jericho ad Rahab, dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, et ingressi sunt domum tuam; exploratores quippe sunt, et omnem terram [h. explorare enim venerunt omnem terram] considerare venerunt. Tollensque mulier viros, abscondit, et ait: Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent; cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt, nescio quo abierint, persequimini cito, et comprehenditis eos. Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suae [h. non habet, domus suae], operuitque eos lini stipula, quae ibi erat. Hi autem qui missi fuerant, secuti sunt eos per viam que ducit ad vadum Jordanis: illisque egressis satim porta clausa est. Necdum obdormierant qui lalebant, et ecce mulier ascendit ad illos, et ait [h. ad illos in solarium et ait]: Novi quod Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terrae [h. a facie vestra]. Audivimus quod sicaverit Dominus aquas maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Aegypto, et quae feceritis duobus Amorrhoeorum regibus, qui erant trans Jordanem, Seon et Og, quos interfecistis. Et haec audientes perterriti sumus, et [h. non habet] elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum. Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in celo sursum, et in terra deorsum. C. III. Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego feci vobiscum misericordiam, ita et vos faciatis eum domo patris mei: detisque mihi signum verum, ut salvetis [h. et vivificetis, etc.] et est sensus: Recipite eos in cultum fidei vestrae patrem meum et matrem meam, fratres ac sorores meas, et omnia quae eorum sunt, et eruat animas nostras de morte. Qui responderunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos. Cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam et

(1) LXX legunt in singulari, « omnis fortis manu »: quod canon Hebr. verit. ms. biblicorum codex regius, et unus Corbeiensis imitantur: etsi in mss.

« omnis », et « fortis » facile scribi potuit pro « omnes », et « fortes »; quia veteres « i » pro « e » scribebant saepius. MART.

veritatem. Demisit ergo eos per funem de fenestra: domus enim ejus haerebat muro. Dixitque ad eos: Ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes [h. persequentes]: ibique lateate tribus diebus, donec redeant, et sic ibitis per viam vestram. Qui dixerunt ad eam: Innoxii erimus a juramento hoc, quo adjurasti nos, si ingredietibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coecineus, et ligaveris eum in fenestra, per quam nos demisisti: patrem tuum ac matrem, fratresque et omnem cognationem tuam, congregaveris in domum tuam. Qui ostium domus suae egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus, et nos erimus (1) innoxii. Cunctorum autem sanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit. Quod si nos prodere volueris, et sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento, quo adjurasti nos. Et illa respondit: Sicut locuti estis, ita fiat. Dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coecineum in fenestra. Illi vero ambulantes pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant persequuti: quarentes enim per (*Vulg. add. omnem*) viam, non repperunt eos. Quibus urbem ingressis [h. non habet hoc], reversi sunt et descenderunt exploratores de monte, et Jordane transmissio, venerunt ad Josue filium Nun, narraveruntque ei omnia quae acciderant sibi, atque dixerunt: Tradidit Dominus in manus nostras omnem terram hanc, et timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus [h. ita faciem nostram].

T. II, Cap. III. — Igitur Josue de nocte consurgens movit castra, egredientesque de Setim, venerunt ad Jordanem ipse et omnes filii Israel, et morati sunt ibi tres dies. Quibus evolutis transierunt praecedentes per castrorum medium, et clamare ceperunt: Quando videritis arcem foederis Domini Dei vestri, et sacerdotes stirpis leviticae portantes eam, vos quoque consurgite

[h. de locis vestris], et sequimini praecedentes: sitque inter vos et arcem spatium cubitorum duum millium, ut procul videre possitis, et nosse per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulastis per eam: et cavele ne appropinquetis ad arcem [h. duum millium ad mensuram, et cavele ne appropinquetis ad arcem, ut cognoscatis viam per quam ingrediamini, quia non ambulastis per eam ab heri et nudius tertius]. C. IV. Dixitque Josue ad populum: Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. Et ait ad sacerdotes: Tollite arcem foederis, et praecedite populum. Qui jussa complentes, tulerunt et ambulaverunt ante eos. B. IV, C. V. Dixitque Dominus ad Josue: Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel: ut sciant, quod sicut cum Mose fui, ita et tecum sim. Tu autem praecipe sacerdotibus, qui portant arcem foederis, et dic eis: Cum ingressi fueritis partem aquae Jordanis; stete in ea. Dixitque Josue ad filios Israel: Accedite huc, et audite verba Domini Dei vestri. Et rursum: In hoc, inquit, scietis quod [h.] Deus vivens in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chanaanem, et Hethaeum, et Evaeum, et Pherezeum, Gergeseum quoque et Amortheum, et Jebuseum. Ecce arca foederis Domini omnis terrae antecedit vos per Jordanem. Parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus. C. VI. Et cum posuerint vestigia pedum suorum, sacerdotes qui portant arcem [h.] foederis (2) Domini Dei universae terrae, in aquis Jordanis, aquae quae inferiores sunt, decurrunt atque deficient: quae autem desuper veniunt, in una mole consistent. B. V. Igitur egressus est populus de tabernaculis suis (*Vulg. tab. suis*), ut transirent Jordanem: et sacerdotes, qui portabant arcem foederis, pergebant ante eum. Ingressisque eis Jordanem, et pedibus eorum tactis in parte aquae (Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat), steterunt aquae descendentes in uno loco, et ad

(1) Ita solus canon Hebr. verit. juxta id quod supra scriptum est v. 17. Alii cum manuscripti, tum editi libri legunt, « et nos erimus alieni »: quorum verborum sensus non videtur satis expeditus ad intelligentiam popularem. Advertat lector versuum numeros hic et alibi in adnotationibus nostris esse citatos, prout divisi reperiuntur in Vulgata Latina, quamvis numerice versuulorum nota minime appareant in textu nostro propter rationem in prolegomenis allatam. Videsis quae ibi dicuntur. MART.

(2) Septuaginta, canon et interpretes Arabes habent verbum « foederis »: quod tamen abest in Hebraeo hodierno et in Samaritano. MART.

— Cum Urbinate mss. plerique alii cum editi libri, tum mss. « alieni » legunt pro « innoxii ». Palatin. illa expuncta voce, hanc posteriori manu substituit.

(2) Septuaginta, canon et interpretes Arabes habent verbum « foederis »: quod tamen abest in Hebraeo hodierno et in Samaritano. MART.

— Nulli « nostris mss. vocem « foederis » hic habent, quam nec Hebraeus ipse textus agnoscit. Palatin. praeterea « portabant » in futuro legit pro « portant ».







cum universis qui cum ea in domo sunt: abscondit enim nuntios quos direximus. Vos autem cavete, ne de his, quae praecepta sunt, quidpiam contingatis, et sitis praevaricationis rei, et omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur. Quidquid autem auri et argenti fuerit, et vasorum aeneorum ac ferri, Domino consecratur, repositum in thesauris ejus. C. XXIII. Igitur vociferante omni populo, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt: et ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat, ceperuntque civitatem, et interfecerunt omnia quae erant in ea, a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque et oves et asinos in ore gladii percusserunt. C. XXIV. Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Josue: Ingredimini domum mulieris meretricis, et producite eam, et omnia quae illius sunt, sicut illi juramento firmastis. Ingressique juvenes, eduxerunt Rahab, et parentes ejus, fratres quoque, et cunctam suppellectilem ac cognitionem illius, et extra castra Israel manere fecerunt. Urbem autem, et omnia quae in ea erant, succenderunt, absque auro et argento, et vasis aeneis, ac ferro, quae in aedium Domini consecrarunt. Rahab vero meretricem, et domum patris ejus, atque omnia quae habebat, fecit Josue vivere, et habitaverunt in medio Israel usque in presentem diem: eo quod absconderit nuntios, quos miserat ut explorarent Jericho. B. XII, C. XXV. In tempore illo imprecatus est Josue, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et edificaverit civitatem Jericho! In primogenito suo fundamenta illius jaciatis; et in novissimo liberorum ponat portas ejus. Fuit ergo Dominus cum Josue, et nomen ejus in omni terra vulgatum est.

B. XIII, C. XXVI, Cap. VII. — Filii autem Israel praevaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathemate. Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda, tulit aliquid de anathemate: iratusque est Dominus contra filios Israel. Cumque mitteret Josue de Jericho viros contra Ai, quae est juxta Beth-Aven, ad orientalem plagam oppidi Beth-El, dixit eis: Ascendite, et explore terram. Qui praecepta complentes exploraverunt Ai. Et reversi dixerunt ei: Non ascendat omnis populus, sed duo vel

tria millia virorum pergant, et deleant civitatem: quare omnis populus frustra vexatur (Vulg. vexabitur) contra hostes paucissimos? C. XXVII. Ascenderunt ergo tria millia pugnantium [h. virorum]. Qui statim terga vertentes, percussi sunt a viris urbis Ai, et corruerunt ex eis triginta et sex homines: persecutique sunt eos adversarii de porta usque Sabarim, et ceciderunt per prona fugientes: pertinuitque eorum populi, et instar aquae liquefactum est. Josue vero scidit vestimenta sua, et cecidit pronus in terram coram arca Domini usque ad vesperum, tam ipse quam omnes senes Israel: miseruntque pulverem super capita sua, et dixit Josue: Heu, Domine Deus, quid voluisti tradere populum istum Jordanem fluvium [h. non habet fluvium], ut traderes nos in manus Amorrhaei, et perderes? Utinam ut coepimus, mansissemus trans Jordanem. Mi Domine Deus [h. non habet], quid dicam, videns Israel hostibus suis terga vertentem? Audient Chananeii et omnes habitatores terrae, ac pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra: et quid facies magno nomini tuo? C. XXVIII. Dixitque Dominus ad Josue: Surge, cur jaces pronus in terra? Peccavit Israel, et praevaricatus est pactum meum, tuleruntque de anathemate, et furati sunt aequa mentiti, et absconderunt inter vasa sua. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet: quia pollutus est anathemate [h. factus est anathema]. Non ero ultra vobiscum, donec conferatis eum qui hujus sceleris reus est. Surge, sanctifica populum, et dices eis: Sanctificamini in crastinum; haec enim dicit Dominus Deus Israel: Anathema in medio tui est, Israel; non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere. Accediteque mane singulis per tribus vestras: et quaecunque tribus sors invenerit, accedet per cognationes suas, et cognatio per domos, domusque per viros. Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua: quoniam praevaricatus est pactum Domini, et fecit nefas in Israel. C. XXIX. Surgens itaque Josue mane, applicavit Israel per tribus suas, et inventa est tribus Juda. Quae cum juxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zarai. Illam quoque per viros offensus (1), reperit Zabdi: cujus domum in singulos dividens

viros, invenit Achan (1) filium Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda. Et ait ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confiteare, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. C. XXX. Responditque Achan Josue, et dixit ei: Vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic feci. Vidi enim inter spolia coelestem valde bonum [h. pallium de Senaar unum bonum], et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum: et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui. Misit ergo Josue ministros: qui currentes ad tabernaculum illius reppererunt cuncta abscondita in eodem loco, et argentum simul. Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad Josue et ad omnes filios Israel, projeceruntque ante Dominum. Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque et pallium, et auream regulam, filiosque ejus, et filias, boves et asinos, et oves, ipsumque tabernaculum, et cunctam suppellectilem (et omnis Israel cum eo); duxerunt eos ad vallem Achor (1); ubi dixit Josue: Quia (Vulg. qui turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel: et cuncta quae illius erant, igne consumpta sunt. Congregaverunt quoque super eum acervum magnum lapidum, qui permanet usque in presentem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius, Vallis Achor, usque hodie.

T. IV, B. XIV, C. XXXI, Cap. VIII. — Dixit autem Dominus ad Josue: Ne timeas, neque formides; tolle tecum omnem multitudinem pugnantium, et consurgens ascende in oppidum Ai. Ecce tradidi in manu tua regem ejus, et populum urbemque et terram. Faciesque urbi Ai et regi ejus, sicut fecisti Jericho et regi illius: praedam vero et omnia animantia diripietis vobis; pone insidias urbi post eam. Surrexitque Josue, et omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Ai: et electa triginta millia virorum fortium misit nocte, praecipitque eis, dicens: Ponite insidias post civitatem; nec

longius recedatis, et eritis omnes parati. Ego autem, et reliqua multitudo quae mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cumque exierint contra nos, sicut ante fecimus [h. non habet fecimus], fugiemus et terga vertemus: donec persequentes ab urbe longius protrahantur (Vulg. protrahamur); putabunt enim fugere nos sicut prius. Nobis ergo fugientibus, et illis sequentibus, consurgitis de insidiis, et vastabitis civitatem: tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras. Cumque ceperitis urbem (Vulg. taceat urbem), succendite eam, et sic omnia facielis, ut jussi [h. juxta verbum Domini facite. Videte quia ego praecipio vobis]. Dimisitque eos, et perrexerunt insidiarum locum, sederuntque inter Beth-El et Ai. ad occidentalem plagam urbis Ai: Josue autem in nocte illa in medio mansit populi, surgensque diluculo recensuit socios, et ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnantium. Cumque venissent et ascendissent ex adverso civitatis, steterunt ad septentrionalem urbis plagam, inter quam et eos vallis media erat. Quingue millia autem viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Beth-El et Ai, ex occidentali parte ejusdem civitatis: omnis vero reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi multitudinis (Vulg. addit illius) occidentalem plagam urbis attingeret. Abiit ergo Josue nocte illa, et stetit in vallis medio. C. XXXII. Quod cum vidisset rex Ai, festinavit mane, et egressus est cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorans quod post tergum laterent insidiae. Josue vero et omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes per viam solitudinis. At illi vociferantes pariter, et se mutuo cohortantes, persecuti sunt eos. Cumque recessissent a civitate, et ne unus quidem in urbe Ai et Beth-El remansisset qui non persequeretur Israel (sicut eruperant aperta porta (Vulg. taceat porta) oppida relinquentes), dixit Dominus ad Josue: Leva clypeum qui in manu tua est, contra urbem Ai, quoniam tibi tradam eam. Cumque elevasset clypeum ex

(1) Vulgati, « per domos », dissentiente Hebraeo לְבָרִים.

(1) Nomen istud in Graecis ac Latinis quibusdam exemplaribus mutatum est in « Achar » et « Achor ». Manuscriptus Iam Alexandrinus optime legit cum Hebraeo, « Achan »; quod ita legendum docet etiam Hieronymus lib. « de locis Hebraicis »: « Emoc Achor, inquit, quod interpretatur « vallis Achor », id est, « tumultus » atque « turbationis », ubi Achan lapidibus oppressus est. . . . est locus juxta Jericho,

hand prouc a Galgalis. Male ergo quidam putant vallem Achor a novine ejus qui lapidatus est, nuncupatam: cum ille Achan dictus sit, et non Achor, sive Achar. Mart.

— Palat. ms. « Achar », Urbis « Achor » legit. Recole, si libet s. interpretem, libro « de locis Hebraicis », ad vocem « Emoc Achor », et quae nos ad eum locum observamus.



adverso civitatis, insidiae quae, latebant, surrexerunt confestim: et pergentes ad civitatem, ceperunt et succederunt eam. Viri autem civitatis, qui persequerantur Josue, respicientes et videntes fumum urbis ad caelum usque consendere, non potuerunt ultra huc illaque diffugere: praesertim cum hi qui simulaverant fugam, et tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissime restitissent. Vidensque Josue et omnis Israel quod capta esset civitas, et fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Ai. Siquidem et illi qui ceperant et succederant civitatem, egressi ex urbe contra suos, medios hostium ferire ceperunt. Cumque ergo ex utraque parte adversarii caderentur, ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur, regem quoque urbis Ai apprehenderunt viventem, et obtulerunt Josue. Igitur omnibus interfectis, qui Israeliam ad desertam tendentem fuerant persecuti, et in eodem loco gladio corruentibus reversi filii Israel percusserunt civitatem. Erant autem qui eo die considerant a viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Ai, Josue vero non contraxit manum quam in sublime porregerat, tenens clypeum donec interficerent omnes habitatores Ai. Jumenta autem et praedam civitatis dividerunt sibi filii Israel, sicut praeeperat Dominus Josue. Qui succedit urbem, et fecit eam tumulum sempiternum; regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vespem. Et solis occasu praecipit Josue, et deposuerunt cadaver ejus de erace; profereruntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in praesentem diem. C. XXXIII. Tunc edificavit Josue altare Domino Deo Israel in monte Hebal, sicut praeeperat Moses famulus Domini filiis Israel, et scriptum est in volumine legis Mosi: Altare de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit; et obtulit super eo holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas. Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Mosi, quod ille digresserat coram filiis Israel. Omnis autem populus [h. et omnis Israel] et majores natu, ducesque ac iudices stabant ex utraque parte arae, in conspectu sacerdotum [h. sacerdotum levitarum], qui portabant arcam foederis Domini, ut advena ita et indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, et media juxta montem Hebal, sicut praeeperat Moses famulus Domini. Et primum quidem benedixit populus Israel. C. XXXIV. Post haec

legit omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta [h. non habet] quae scripta erant in legis volumine. Nihil ex his quae Moses jusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israel, mulieribus ac parvulis et advenis, qui inter eos morabantur. B. XV, Cap. IX. Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis et campestribus, in maritimis ac littore maris magni, hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Helithaeus, et Amorrhaeus, et Chanaanæus, Pherezeus, et Evæus, et Jebuseus congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue et Israel uno animo, eademque sententia [h. non habet]. B. XVI, C. XXXV. At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quae fecerat Josue Jericho et Ai: et callide cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, et utres vinarios scissos atque consutos, calceamenta quoque perantiqua, quae ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis: panes quoque quos portabant ob viaticum, duri erant, et in frusta comminuti: perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgalae, et dixerunt ei, atque omni simul Israeli: De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri Israel ad eos [h. et Evæum], atque dixerunt: Ne forsitan in terra, quae nobis forte debetur, habitetis, et non possimus foedus inire vobiscum. At illi ad Josue: Servi, inquit, tui sumus. Quibus Josue: Quinam, ait, estis vos? Et unde venistis? Responderunt: De terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiae ejus, cuncta quae fecit in Aegypto, et duobus Amorrhaeorum regibus qui fuerunt trans Jordanem, Seon regi Eschon et Og regi Basan, qui erant in Astaroth: dixeruntque nobis seniores, et omnes habitatores terrae nostrae: Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, et occurrite eis, ac dicite: Servi vestri sumus, foedus inite nobiscum. En, panes quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc siccifaci sunt, et vetustate nimia comminuti. Utres vini novos implevimus, nunc rupti sunt et soluti. Vestes et calceamenta quibus induimur, et quae habemus in pedibus, ob longitudinem longioris [Vulg. longioris] viae trita sunt, et pene consumpta. C. XXXVI. Susceperunt igitur de cibariis eorum, et os Domini non interrogaverunt. Fecitque Josue cum eis pacem, et inito foedere pollicitus est

quod non occiderentur: principes quoque multitudini juraverunt eis. Post dies autem tres inito foederis, audierunt quod in vicino habitarent, et inter eos futuri essent. Moveruntque castra filii Israel, et venerunt in civitates eorum die tertio, quarum haec vocabula sunt, Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Cariath-Iarim. Et non percusserunt eos, eo quod jurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israel [h. in Domino Deo Israel]. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes. C. XXXVII. Qui responderunt eis: Juravimus illis in nomine Domini Dei Israel [h. in Domino Deo Israel], et ideo non possumus eos contingere. Sed hoc faciemus eis. Reserverunt quidem, ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus: sed sic vivant, ut in usus universae multitudinis ligna cedant, aquasque comportent. Quibus haec loquentibus, vocavit Gabaonitas Josue, et dixit eis: Cur nos decipere fraude voluistis [h. quare deceptis nos], ut diceretis: Procul valde habitamus a vobis, cum in medio nostri sitis? Itaque sub maledictione eritis, et non deficiet de stirpe vestra ligna cedens, aquasque comportans in domum Dei mei. Qui responderunt: Nuntiatum est nobis [h. non habet] nobis [servis tuis, quia promississet Dominus Deus tuus Mosi servo suo, ut traderet vobis omnem terram, et disperderet cunctos habitatores ejus [h. a facie vestra]. Timuimus igitur valde, et providimus animabus nostris vestro terrore compulsi, et hoc consilium inivimus. Nunc autem in manu tua sumus: quod tibi bonum et rectum videtur, fac nobis. Fecit ergo Josue ut dixerat, et liberavit eos de manu filiorum Israel, ut non occiderentur. Decevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi, et altaris Domini, cedentes ligna, et aquas comportantes, usque in praesens tempus, in loco quem Dominus elegerat. B. XVII, C. XXXVIII, Cap. X. Quae cum audisset Adonisedec, rex Jerusalem, quod scilicet cepisset Josue Ai, et subvertisset eam [sicut enim fecerat Jericho et regi ejus, sicut fecit Ai et regi illius], et quod transfugissent [h. pacem inissent] Gabaonites ad Israel, et essent foederati eorum,

timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, et una regalium civitatum, et major oppido Ai, omnesque bellatores ejus fortissimi. Misit ergo Adonisedec rex Jerusalem ad Oham regem Hebron, et ad Phiram regem Iarimoth, et Japhie quoque regem Lachis, et ad Dabir regem Egion, dicens: Ascendite ad me, et ferte praesidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit [h. pacem inierit] ad Josue et ad filios Israel. T. V. Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhaeorum, rex Jerusalem, rex Hebron, rex Iarimoth, rex Lachis, rex Egion, simul cum exercitibus suis, et castrametati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam. C. XXXIX. Habitatores autem Gabaon urbis obsessae [h. non habet] miserunt ad Josue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, et dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum: ascende cito, et libera nos, ferque praesidium: convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorrhaeorum, qui habitant in montanis. Ascenditque Josue de Galgalis, et omnis exercitus bellatorum cum eo, virique fortissimi. B. XVIII. Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus tibi ex eis resistere poterit. Irruit itaque Josue super eos repente, tota nocte ascendens de Galgalis. Et conturbavit eos Dominus a facie Israel: contrivitque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est [Vulg. addit eos] per viam ascensus Beth-Horon, et percussit usque Azeca et Maccada. C. XL. Cumque fugerent filii Israel [h. a facie Israel], et essent in descensu Beth-Horon, Dominus misit super eos lapides magnos de caelo usque ad Azeca: et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuissent filii Israel. Tunc locutus est Josue Domino, in die qua tradidit Amorrhaeum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol, contra Gabaon ne movearis; et luna, contra vallem Aialon. C. XLI. Steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro iustorum (1) [h. recti, id est, Dei]? Stetit itaque sol in medio caeli, et non festinavit oc-

(1) Indefinita nimis apparet haec de « libro iustorum », sive, « recti » intelligentia; nullum est enim e canonicis Scripturis volumen, quod non sit, ac recte dicatur « liber Dei ». Melius itaque Sanctus Hieronymus, lib. xi comment. in Isa. cap. xiv, ubi conceptis verbis librum Genesios, « librum iustorum » appellari definit: « Alio nomine, inquit,

Israel vocat, *סֵפֶר הַיְשׁוּעַ* enim verbum Hebraicum, ceteri *סֵפֶר הַיְשׁוּעַ*, sive, *סֵפֶר הַיְשׁוּעַ*, id est, rectissimum et rectum interpretati sunt: soli LXX, « dilectissimum », jungentes de suo, Israel. Proprie enim juxta Hebraeos et litterarum fidem, Israel, rectus Dei dicitur: vir autem videns Deum, non in elementis, sed in sono vocis est. Unde et liber Genesios appellatur,



cumbere spatio unius diei. Non fuit ante et (Vulg. nec) postea tam longa dies [h. talis dies], obediens Domino voci hominis, pugnante pro Israel. Reversusque est Josue cum omni Israel in castra Galgala. C. XLII. Fugerunt enim quinque reges, et se absconderunt in spelunca urbis Maceda. Nuntiaturque est Josue, quod inventi essent quinque reges latentes in spelunca (Vulg. addit urbis) Maceda. Qui praecepit sociis, et ait: Volvite saxa ingentia ad os speluncae, et ponite viros industrios, qui clausos custodiant: vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, et extremos quosque fugientium cadite: ne dimittatis eos urbium suarum intrare praesidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras. Cesis igitur adversariis plaga magna, et usque ad interfectionem pene consumptis, hi qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas. Reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani et integri numero: nullusque contra filios Israel mutire ausus est. C. XLIII. Praecepitque Josue, dicens: Aperite os speluncae, et producite ad me quinque reges qui in ea latitant. Feceruntque ministri ut sibi fuerat imperatum, et eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, regem Jerusalem, regem Hebron, regem Jarimuth, regem Lachis, regem Eglon. C. XLIV. Cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israel, et ait ad principes exercitus qui secum erant: Ite et ponite pedes super colla regum istorum. Qui cum perrexissent, et subjectorum pedibus colla calcarent, rursus ait ad eos: Nolite timere, nec paveatis, confortamini et estote robuti: sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis. Percussitque Josue, et interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites: fueruntque suspensi usque ad vespertinum. Cumque occumberet sol, praecepit sociis, ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos proiecerunt in speluncam, in qua latuerant, et posuerunt super os ejus saxa ingentia, quae

*Idem*, id est, « iustorum », Abraham, Isaac, et Israel ». Eadem affert lib. vi comment. in Ezech. cap. xviii, recitans illa verba Balaam: « Moritur anima mea in animabus iustorum (Num. xxiii, 10): « Si Balaam, . . . » vanum populum » sonat, perspicuum est, inquit, quod vix prius gentium populus desideret habere consortium cum animabus iustorum, Abraham, Isaac et Jacob, qui *idem*, id est, « recti » et « iusti » nuncupantur. Unde et Genesios liber ex eorum vocabulo nomen accepit. Haec e commentariis Hieronymi adnotavimus, ut videant

permanent usque in praesens. C. XLV. Eodem die Macedam quoque cepit Josue, et percussit in ore gladii, regemque illius interfecit et omnes habitatores ejus: non dimisit in ea saltem parvas reliquias. Fecitque regi Maceda, sicut fecerat regi Jericho. Transivitque cum omni Israel de Maceda in Libna, et pugnabat contra eam: quam tradidit Dominus cum rege suo in manu Israel, percusseruntque urbem in ore gladii, et omnes habitatores ejus. Non dimiserunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi Libna, sicut fecerant regi Jericho. C. XLVI. De Libna transivit in Lachis cum omni Israel: et exercitu per gyrum disposito oppugnabat eam. Tradiditque Dominus Lachis in manu Israel, et cepit eam die altero, atque percussit in ore gladii, omnemque animam quae fuerat in ea, sicut fecerat Libna. C. XLVII. Eo tempore ascendit Hiram, rex Gezer, ut auxiliaretur Lachis, quem percussit Josue cum omni populo ejus usque ad interfectionem. C. XLVIII. Transivitque de Lachis in Eglon, et circumdedit atque expugnavit eam eadem die: percussitque in ore gladii omnes animas quae erant in ea, iuxta omnia quae fecerat Lachis. C. XLIX. Ascendit quoque cum omni Israel de Eglon in Hebron, et pugnavit contra eam, cepitque, et percussit in ore gladii, regem quoque ejus, et omnia oppida regionis illius, universasque animas quae in ea fuerant commoratae: non reliquit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Eglon, sic fecit et Hebron, cuncta quae in ea reperit consumens gladio. C. L. Inde reversus in Dabiram, cepit eam atque vastavit: regem quoque ejus, et omnia per circuitum oppida, percussit in ore gladii: non dimisit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Hebron et Libna et regibus earum, sic fecit Dabir et regi illius. C. LI. Percussit itaque Josue omnem terram montanam et meridianam atque campestram, et Asedoth, cum regibus suis: non dimisit in eis ullas reliquias, sed omne quod spirare poterat, interfecit, sicut praeceperat ei Dominus

in fine critici recentiores quam longo sint a vero, qui putant commentum esse auctorum Gemaroth, librum Genesios appellari librum iustorum. Certe si commentum est, antiquius demonstratur omnibus Thalmudicis, nec solum apud Hebraeos, sed apud veteres scriptores etiam ecclesiasticos olim acceptum. Plura adhuc de « libro iustorum », cum ad secundum Samuelis librum ventum erit. MARX.

— Vide quoque nobis in commentariis in Isaac cap. xlv et Ezechielis xvii haec super re sunt animadversa.

Deus Israel, a Cades-Barne usque ad Gazam [h. Aza]. Omnem terram Gosen usque Gabaa, universos reges et regiones eorum, uno cepit impetu, atque vastavit: Dominus enim Deus Israel pugnabat pro eo, reversusque est cum omni Israel ad locum castrorum in Galgala.

C. LII. Cap. XI. — Quae cum audisset Jabin rex Asor, misit ad Jobab regem Madon, et ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph: ad reges quoque aquilonis qui habitabant in montanis et in planitie contra meridiem Chineroth, in campestribus quoque et in regionibus Dor juxta mare; Chananeumque ab oriente et occidentem, et Amorraeum atque Hethaeum ac Pherezzeum et Jebuseum in montanis: Ezeum quoque qui habitabat ad radices Hermon, in terra Mispha. Egressique sunt omnes cum turmis suis populus multus nimis sicut arena, quae est in litore maris, equi quoque et currus immenses multitudinis. Conveneruntque omnes reges isti in unum ad aquas Merom, ut pugnarent contra Israel. Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: eras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos [h. vulneratos] in conspectu Israel: equos eorum subnervabis, et currus igne combures. C. LIII. Venitque Josue, et omnis exercitus cum eo adversum illos ad aquas Merom subito, et irruerunt super eos, tradiditque illos Dominus in manu Israel. Qui percusserunt eos, et persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, et aquas Miserephoth [h. Miserephoth, in Latinum, Aquas Calidas], campumque Misphe, qui est ad orientalem illius partem. Ita percussit omnes, ut nullas dimitteret eis reliquias: fecitque sicut praeceperat ei Dominus, equos eorum subnervavit, currusque igne combussit. Reversusque statim cepit Asor, et regem ejus percussit gladio. Asor enim antiquitus inter omnia regna haec principatum tenebat. Percussitque omnes animas quae ibidem morabantur: non dimisit in ea ullas reliquias, sed usque ad interfectionem universa vastavit, ipsamque urbem combussit incendio. C. LIV. Et omnes per circuitum civitates, regesque earum cepit, percussit atque delevit, sicut praeceperat ei Moses famulus Domini. Absque urbibus, quae erant in collibus et in tumulis sitae, ceteras succendit Israel: unam tantum Asor munitissimam flamma consumpsit

[h. Verumtamen urbes quae erant in tumulis sito non succendit Israel. Unam tantum Asor munitissimam Josue flamma consumpsit]. Omnemque praedam istarum urbium ac jumenta dividerunt sibi filii Israel, cunctis hominibus interfecit. Sicut praeceperat Dominus Mosi servo suo, ita praecepit Moses Josue, et ille universa complevit: non praeiit de universis mandatis ne unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Mosi. Cepit itaque Josue omnem terram montanam, et meridianam, terramque Gosen, et planitiem, et occidentalem plagam, montemque Israel, et campestriam ejus: et partem montis quae ascendit Seir usque ad Baal-Gad, per planitiem Libani subter montem Hermon: omnes reges eorum cepit, percussit et occidit. Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos. Non fuit civitas quae se traderet filiis Israel, praeter Ezeum, qui habitabat in Gabaa: omnes bellando cepit. C. LV. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut praeceperat Dominus Mosi. T. VI, C. LVI. In tempore illo venit Josue, et interfecit Enacim de montanis, de (Vulg. tacet de) Hebron, et Debir, et Anab, et de omni monte Juda et Israel, urbesque eorum delevit. Non reliquit ullum de stirpe Enacim, in terra filiorum Israel: absque in civitatibus [h. non habet in civitatibus] Gaza, et Geth, et Azoto, in quibus solis relictis sunt. Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, et tradidit eam in possessiones filiis Israel, secundum partes et tribus suas. Quievitque terra a praeliis.

Cap. XII. — Hi sunt reges quos percusserunt filii Israel, et possederunt terram eorum trans Jordanem ad solis ortum (1), a torrente Arnon usque ad montem Hermon, et omnem orientalem plagam quae respicit solitudinem. C. LVII. Seon rex Amorraeorum, qui habitavit in Ezebon, dominatus est ab Aroer, quae sita est super ripam torrentis Arnon, et mediae partis in valle, dimidieque Galaad, usque ad torrentem Jaboc, qui est terminus filiorum Ammon. Et a solitudine usque ad mare Cheneroth contra orientem, et usque ad mare deserti, quod est mare salissimum, ad orientalem plagam per viam quae ducit Beth-Iisimoth: et ab australi

(1) In canone legitur, « a solis ortu ». Id vero fluxit « LXX interpretibus, qui legebant כורר mizzrach »

sine 7 locali in fine. Hodie in Hebraeo est כורר mizzrach, id est, « ad ortum ». MARX.



parte, quæ subjacet Asedoth-Phisga. C. XIX. Terminus Og regis Basan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, et in Edrai, et dominatus est in monte Hermon, et Salacha, atque in universa Basan, usque ad terminum Gesuri, et Machati, et dimidiæ partis Galaad: terminum Seon regis Esebon. Moses famulus Domini, et filii Israel percusserunt eos, tradiditque terrain eorum Moses in possessionem Rubenitis, et Gaditis et dimidiæ tribui Manasse. B. XX, C. LVIII. Ili sunt reges terræ, quos percussit Josue, et filii Israel, trans Jordanem ad occidentalem plagam, a Baal-Gad in campo Libani, usque ad montem cujus pars ascendit in Seir: tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israel, singulis partes suas, tam in montanis quam in planis atque campestribus. In Asedoth, et solitudine, ac meridie Hethæus fuit et Amorheus, Chanaanæus, et Pherezeus, Evæus et Jebuseus. Rex Jericho unus: rex Ai, quæ est ex latere Bethel, unus: rex Jerusalem unus: rex Hebron unus: rex Jarimuth unus: rex Lachis unus: rex Eglon unus: rex Gezer unus: rex Debir unus: rex Geder unus: rex Harma unus: rex Harad unus: rex Libna unus: rex Adulam unus: rex Maceda unus: rex Beth-El unus: rex Tapphua unus: rex Ephraim unus: rex Aphee unus: rex Lassaron unus: rex Madon unus: rex Asor unus: rex Simeron Maron unus: rex Achsaph unus: rex Thanae unus: rex Mageddo unus: rex Cedès unus: rex Jacanaam Charmeli unus: rex Dor, et provincie (h. de provincia) Dor unus: rex gentium Galgal unus: rex Thirsa unus: omnes reges triginta et unus.

T. VII, C. LIX, Cap. XIII. — Josue senex propeque ætatis erat, et dixit Dominus ad eum: Senisti, et longævus es, terraque latissima derelicta est, quæ necdum est sorte divisa: omnis videlicet Galilee, Philisthim, et universa Gesuri. A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron contra aquilonem: terra Chanaan, que in quinque regulos Philisthim dividitur, Gazæos, et Azotios, Ascalonitas, Gethæos, et Accaronitas. Ad meridiem vero sunt [h. ad austrum sunt] Evæi, omnis terra Chanaan, et Maara Sidoniorum, usque Apheea et terminos Amorrhæi, ejusque confinia [h.]. Libani quoque regio contra orientem [h.], a Baal Gad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath. Omnium qui habitant in monte, a Libano usque ad aquas Miserephoth, universique Sidonii. B. XXI. Ego sum qui delebo [h. ejiciam]

eos a facie filiorum Israel. Veniat ergo in partem hereditatis Israel, sicut præcepi tibi. C. LX. Et nunc divide terram in possessionem novem tribubus, et dimidiæ tribui Manasse, cum qua Ruben et Gad possederunt terram quam tradidit eis Moses famulus Domini trans fluentia Jordanis ad orientalem plagam. Ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in vallis medio, universaque campestris Medaba, usque Dibon, et cunctas civitates Seon regis Amorrhæi, qui regnavit in Esebon, usque ad terminos filiorum Ammon, et Galaad, ac terminum Gesuri et Machati, et omnem montem Hermon, et universam Basan, usque Salecha, omne regnum Og in Basan, qui regnavit in Astaroth et Edrai, ipse fuit de reliquiis Raphaim: percussitque eos Moses, atque delevit. Nolueruntque disperdere filii Israel Gesuri et Maachati, et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem. Tribui autem Levi non dedit possessionem: sed sacrificia et victimæ [h. et victimæ, non habet] Domini Dei Israel, ipsa est ejus hereditas, sicut locutus est illi. C. LXI. Dedit ergo Moses possessionem tribui filiorum Ruben juxta cognationes suas. Fuitque terminus eorum ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in valle ejusdem torrentis media: universam planitiem [h. et urbem quæ est in medio ejusdem torrentis, et universam planitiem] quæ ducit Medaba, Esebon, cunctosque viculos ejus [Vulg. earum], qui sunt in campestribus: Dibon quoque, et Bamoth-Baal, et oppidum Baal-Maon, Jasa, et Cedemoth, et Mephaath, et Ciriathaim, et Sibama, et Sereth-Assahar in monte convallis. Deth-Phohor et Asedoth-Phisga, et Beth-Jisimoth: omnes urbes campestras, universaque regna Seon regis Amorrhæi, qui regnavit in Esebon, quem percussit Moses cum principibus Madian: Evi, et Recem, et Sur, et Hur, et Reba, duces [Vulg. iac. duces] Seon habitatores terræ. Et Balaam filium Beor hariolum occiderunt filii Israel gladio cum cæteris interfecit. Factusque est terminus filiorum Ruben Jordanis fluvius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes suas urbium et viculorum. C. LXII. Deditque Moses tribui Gad et filiis ejus per cognationes suas possessionem, cujus hæc divisio est [h. cujus iste est terminus]. Terminus Jaser, et omnes civitates Galaad, dimidiæque partem terræ filiorum Ammon, usque ad Aroer, quæ est contra Rabba. Et ab Esebon usque Ramath, Misphe et Batonim: et a Manaim usque ad

[h.] terminum Dabir. In valle quoque Beth-Aram, et Beth-Nemra, et Soccoth, et Saphon reliquam partem regni Seon regis Esebon: hujus quoque Jordanis finis est, usque ad extremam partem maris Chenereth trans Jordanem ad orientalem plagam. Hæc est possessio filiorum Gad per familias suas, civitates et ville earum. C. LXIII. Dedit et dimidiæ tribui Manasse, filiis ejus juxta cognationes suas possessionem, cujus hoc principium est: a Manaim universam Basan, et cuncta regna Og regis Basan, omnesque vicos Jair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida. Et dimidiæ partem Galaad, Astaroth, et Edrai, urbes regni Og in Basan: filiis Machir, filii Manasse, dimidiæ parti filiorum Machir juxta cognationes suas. Hanc possessionem divisit Moses in campestribus Moab trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagam. Tribui autem Levi non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus, ut locutus est illi.

C. LXIV, Cap. XIV. — Hoc est quod possederunt filii Israel in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos et Josue filius Nun, et principes familiarum per tribus Israel: sorte omnia dividentes, sicut præceperat Dominus in manu Mosi, novem tribubus et dimidiæ tribui. Duabus enim tribubus et dimidiæ dederat Moses trans Jordanem possessionem: absque levitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos: sed in eorum successerunt locum [h. non habet ea, sed sic: quoniam filii Joseph in duas fuere divisi tribus] filii Joseph in duas divisi tribus, Manasse et Ephraim: nec acceperunt. Levitæ aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta, et pecora sua. Sicut præceperat Dominus Mosi, ita fecerunt filii Israel, et diviserunt terram. B. XXII, C. LXV. Accesserunt itaque filii Juda ad Josue in Galgala, locutusque est ad eum Caleb filius Jephonne Cenezæus: Nosti quid locutus sit Dominus ad Mosen hominem Dei de me et te in Cades-Barne. Quadraginta annorum eram quando me misit Moses famulus Domini de Cades-Barne, ut considerarem terram, nuntiavitque ei quod mihi verum videbatur. Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi: et nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum. Juravitque Moses in die illo, dicens: Terra quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, et filiorum tuorum in æternum: quia secutus es Dominum

Deum meum. Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est in præsentem diem. Quadraginta et quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Mosen, quando ambulabat Israel per solitudinem: hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum, illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ab bellandum quam ad gradiendum. Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt et urbes [h. quem pollicitus est Dominus in die illa, quia tu quoque audisti, quod Enacim sunt ibi et urbes] magnæ atque munitæ, si forte sit Dominus mecum, et potero delere eos, sicut promisit mihi. C. LXVI. Benedixitque ei Josue, et tradidit [Vulg. add. ei] Hebron in possessionem. Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephonne Cenezæo usque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel. Nomen Hebron ante vocabatur Cariat-Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est: et terra cessavit a præliis.

B. XXIII, C. LXVII, Cap. XV. — Igitur sors filiorum Jude per cognationes suas ista fuit, a termino Edom, desertum Sin contra meridiem, et usque ad extremam partem australem plage. Initium ejus a summitate maris salissimæ, et a lingua ejus, quæ respicit meridiem. Egredditurque contra ascensum Scorpionis, et pertransit in Sina: ascenditque in Cades-Barne, et pervenit in Esron, ascendens Addara, et circumiens Carcaa, atque inde pertransiens in Asemona, et perveniens ad torrentem Ægypti: eruntque termini ejus mare Magnum [h. non habet magnum]. Hic erit finis meridiane plage. Ab oriente vero erit initium, mare salissimum usque ad extrema Jordanis, et ea quæ respiciunt ad aquilonem, a lingua maris usque ad eundem Jordanem fluvium. Ascenditque terminus in Beth-Agla: et transit ab aquilone in Beth-Araba: ascendens ad lapidem Boen filii Ruben, et tendens usque ad terminos Debera de Valle Achor, contra aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso ascensionis Adommin, ab australi parte torrentis: transitque aquas, quæ vocantur Fons solis, et erunt exitus ejus ad fontem Rogel. Ascenditque per convallium filii Ennom ex latere Jebusæi ad meridiem, hæc est Jerusalem, et inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Ge-Ennom ad occiden-